



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentarius Pavli Bernriedensis, Antiqui Scriptoris, De
Vita Gegorii VII. Pontif. Max.**

Paulus <Bernriedensis>

Ingolstadii, 1610

V. De vigiliis eius cum Adelhaide Comitissa, vbi terrores diabolicos ambæ
viriliter superauerunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65381](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65381)

preciosi Martyris Cyriaci, obsecundauit, & acutissimā aciem vsq; in finem perseuerantem impetrauit, in hoc valdè mirabilem, quod neque plurimis lacrymis, neque subtilissimis Operum studiis cederet.

IV. Ex tunc habere cœpit sollicitudinem infantium, vt matres & nutrices, in lauandis eorum capitibus, & consuendis eorum vestibus, aliisque necessariis exhibendis.

V. Adelhaidis vxor Manegoldi Comitis Palatini, de castello quod Moropolis dicitur, mulier valdè religiosa, vt pote sectatrix sororum suarum electarum **C**H**R**I**S**T**O** Virginum, quarum vna Wielica, altera vocabatur Hiltiburgis, quarum etiam mira post obitum gloria Beatæ Herlucæ diuinitus ostensa est. Hæc, inquam, eandem Herlucam sibi assumpsit in adiutorium pernoctandi in oratione **D**E**I**. Quadam ergò nocte malignus spiritus volens eis pauorem immittere, & sacris vigiliis illudere, tetrâ, sicut eum decebat, indutus specie, exstinxit lumen, quod vnicum erat in Oratorio: quod cum Herluca reaccendisset, iterum exsufflauit. Illis verò vehementius orationi incumbentibus, superari se dolens inimicus, tanto cum fragore discedens permouit castellum, quo funditus euersum iri timeretur: & seculares quidam repentino sonitu expergefatti, & nimis attoniti, diuersas opiniones tam in ipsa nocte, quàm in sequenti die super insolita quassatione conferebant. Porro sanctæ vigiles se quidquam inde scire dissimulabant: tamen si Herluca signum periculosi tumoris acceperat in facie ex maligni spiritus afflatione.

VI. Similiter ei ante paucos annos etiam Beronica contigit: quando more suo Canonicas vigilias præocupans, Ecclesiã singularis expetiit, in riuulum quoque malo-